

conflabo gradus 311. primam notam in æquatore, quæ locata sub armilla meridiana, gradum 8 ferè Aquarij, domus undecimæ initium mihi insinuat. Rursus adiungo prioribus æquatoribus gradibus iam inuentis, scilicet 311. prædictam particulam, scilicet gra. 33. & colligo gradus 344. pro secunda nota, quæ locata sub armilla meridiana, dat gradum 13. ferè Piscium, initium domus duodecimæ. Et sic habes duas domos ante lineam mediæ cœli, reliquas duas quære etiam iuxta supra tradita, hoc modo: Ascensio recta decimæ domus est 278. graduum, sed ascensio recta anguli septimæ domus est graduum 197, qua subtracta ab ascensione recta mediæ cœli, inuenio differentiam earum graduum 81. quam diuido in tres partes æquales, & proueniunt cuiq; parti gradus 27. quos subtraho ab ascensione recta decimæ domus, & restant gradus 251. æquatoris pro prima nota, quæ locata sub armilla meridiana, præbebit mihi gradum 12. ferè Sagittarij, initium nonæ domus, Rursus deniq; subtraho gradus 27. à gradibus 251. primæ notæ, & proueniunt gradus 224. ferè æquatoris pro secunda nota, quæ locata sub armilla meridiana, exhibebit mihi gradum 16. Scorpij, initium octauæ domus. Quibus sic nactis singularum his oppositarum initia domorum, minime te latebunt, modo memor sis doctrinæ supra traditæ.

Hoc idem aliter & iuxta uiam Campani, atq; Gazuli, breuiter manifestare.

CAPVT LIIII.



Vnc tertium, Campani scilicet atq; Gazuli, æquationis domorum modum, quem Camillus noster Ioannes de monte regio non tam Franciæ, quam totius Germaniæ decus, futilem atq; à mentibus antiquorum philosophorum longæ alienum pronunciat, huic subnectere placuit. Nam distinctio hæc domorum fit per circulos quatuor magnos, horizonti & meridiano coincidentes, in utraq; earum communi interseccionem. Nam super altero huiusmodi sectionum, tanquam polo, circulum magnum descriptum intelligunt, per uerticem capitis aut regionis transeuntem, huiusmodi quadrantes meridiano & horizonte interceptos, in trinas æquales secari portiones imaginatur, & per puncta sectionum duci quatuor memoratos circulos, qui unà cum meridiano & horizonte, circulum uerticalem ante dictum, itemq; eclipticam, ac totum insuper cœlum in duodena partiuntur interualla, quæ domos cœli nuncupant. Ad æquandū igitur secundum hunc modum, pone gradum ascendentis ad contactum horizontis ex parte orientis, & globo ita fixe persistente, applicetur quarta altitudinum ad Zenith horizontis, & cum pede eius super principium Arietis, id est supra uerum oriens æquinoctiale in horizonte, & teneatur etiam ita immobilis: deinde applica circulum positionis (prout decet) ad communes interseccionem meridiani & horizontis, & pone medium, id est lineam fiduciæ huius circuli supra 30 gradum quartæ altitudinum, & quemcunq; gradum Zodiaci hic circulus positionis tetigerit, hic erit gradus initij duodecimæ domus: deinde globo & quarta altitudinum ita permanentibus, pone circulum positionis supra 60. gradum quartæ altitudinum, & quemcunq; gradum Zodiaci hic circulus positionis ita locatus tetigerit, hic erit initium undecimæ domus. Similiter operare pro inuentione reliquarum domorum ex parte occidentali huius instrumenti, ponendo quartam altitudinum supra uerum occidēs cum eius pede, eademq; unà cum globo fixe manentibus, ponatur circulus positionis supra 30. gradum quartæ altitudinum, & quemcunq; gradum Zodiaci hic circulus positionis tetigerit, hic erit initium octauæ domus. Quarta postremo altitudinum & globo ita inuariate manentibus, ponatur circulus positionis supra 60. gradū quartæ altitudinum